

VERS. 4. — NON EST SATAN, NEQUE OCCURSUS MALUS. Satan hoc loco non diabolus, sed qui nostris consiliis adversatur, quales sunt hostes, qui dum bella movent, pacem nostram atque otium turbant, et dum nostras cogitationes, et vires ad se vocant, aliis nos curis vacare non sinunt. Tales fuerunt Ezeusque Palæstini, Moabitæ, Idumæi, et alii vicini populi, quibuscum Hebræis fuit durum et penè familiare bellum. Talis Absalom, talis Seba, qui publicam pacem, et pacatos animos importunè turbarunt; talem denique se præbebat Abisai 2 Reg. c. 19, qui, dum ignoscendo atque parcendo demereri sibi vellet populares animos David, illum tamen ad vindictæ studium inflammabat, dum veniâ Semei vocabat indignum, cui dixit David, v. 22: *Quid mihi et vobis, filiis Sarviæ? cur efficiamini mihi hodie in Satan?* Ait igitur Salomon, neque sibi esse nunc adversarium, qui suas cogitationes aliò avocet, neque impedimentum ullum, quominus totum studium ac vires in designatam animo templi molem impendat.

VERS. 6. — PRÆCIPE IGITUR, UT PRÆCIDANT MIHI SERVI TUI CEDROS DE LIBANO (1). Libanus à septentrione terram promissionis definit, qui ad Tyrios pertinet et Sidonios, de quo multa, ac sæpè Scriptura prædicat. Sed cum aliarum arborum, earumque pulcherrimarum feracissimus sit, laudantur omnium maximè cedri, quæ præcèritatis sunt eximia et odoratæ materæ; ex quibus ligna sumuntur ad speciem dignitatemque domorum, quas sibi viri principes ad splendorem atque delicias construunt. Unde sæpè audimus è cedrinis compacta lignis,

rendre plus parfaits, comme le Seigneur le déclara à saint Paul même, en lui disant, *que sa vertu se perfectionnerait dans sa faiblesse*. Et le plus grand de tous les périls qu'ils auraient à craindre, ce serait d'être dans cette paix si profonde, et dans cette exemption de tous ennemis où se trouva Salomon, qui fut ensuite la principale cause de sa perte. (Sacy.)

(1) Decernit hic Salomon de iis cedris, tanquam de rebus suis, neque postulat ab Hiram nisi optices, qui illas cædant ac dolent. Post victoriam Davidis de Adarezero hi montes cessisse videntur jure proprio regibus Juda; cæterùm etiam continentur in ditione Israelitarum. Libanus pertinebat ad ditionem Israelis à latere septentrionis. Crescebant cedri potissimum quâ parte spectatur mare Phœnicium, supra Biblum. Salomonis imperio ejusmodi montes semper paruerunt, ubi et arces nonnullas ille condidit.

SICUT SIDONII. Reges Tyri in ditione suâ habuisse videntur Sidonios, nisi fortè Phœnices omnes, tum Tyrii, tum Sidones, Sidoniorum nomine censeantur. (Calmet.)

quæ pulchra significare volumus et pretiosa. Cur autem tam firmæ sint atque proceræ arbores istæ, quas in loco sublimi concutit quidem, sed non evellit ventus, eam Hieronymus rationem adducit ad illud Osee cap. 14: *Ero quasi ros Israel, germinabit quasi lilium, et erumpet radix ejus, ut Libani, etc.* Cum creverimus in Domino, mittemus radices nostras, sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantum in imâ radice demergunt, ut nullâ tempestate quatiantur, sed stabili mole constant. Sumpsit ex Virgilio, qui hæc eadem prodidit de quercu lib. 4 Æneid.:

Ipsa hæret scopulis, et quantum vertice ad auras Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Hic Hieronymus exemplar agnoscit illorum, qui in virtute velint magnos quotidie facere processus. Neque enim unquam in sublime consurgunt, nisi se prius per humilitatem in profunda demergant, neque templum stabile quisquam ædificabit, nisi ex materiâ cedrinâ, ex eâ, inquam, materiâ, quæ non magis se sursùm attollit, quàm deorsùm deprimit. Optimum sanè symbolum mystici templi, in quo Deus libenter habitat, atque constanter, neque minùs quàm in cœlo gloriosè. Sic sanè putabat Isaias, qui c. 57, v. 15, humilem spiritum, in quo Deum habitare dicit, cum templo, imò cum ipso cœlo componit. *Hæc, inquit, dicit excelsus, et sublimis, habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus in excelsu, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu.*

Cum autem cædendi atque poliendi ejusmodi ligna, non ita magnum usum aut artem haberent Hebræi, aut certè illorum non ita multi, maximam verò Tyrii atque Sidonii, qui bonam illius montis partem inhabitant; petit Salomon ab amico sibi Tyriorum rege, ut hominibus quos illius artis habuerit maximè peritos, id negotii mandet, ut materiam è Libano comparent cæduam, ad templi fabricam, quorum ipse laborem et quancumque aliam operam justâ mercede compensabit, quibus ex Hebræis ipse socios adjunget. Quid autem pro operarum sumpibus collaturus sit, explicat lib. 2 Paralip. c. 2, v. 10.

VERS. 7. — BENEDICTUS DOMINUS DEUS HODIE (1). Excepit Tyrius Salomonis mandata

(1) Eucherius et Angelomus Allegor. per Hiram intelligunt reges gentium, ut Constantinum, Theodosium, Gratianum, Carolum, qui Christum et Apostolos, in ædificandâ et propagandâ Ecclesiâ adjuverunt. Unde et Hiram vel Chiram Hebr. idem est quòd *vita excelsus*, aut *vita celsitudo* vel *principatus*, aut *nobili-*

non illibenter, et gratias egit Deo, quòd pro parente Davide jam mortuo suffectus esset in regno filius, de cujus sapientiâ nihil posset aut timeri absurdum, aut sperari vulgare. Quare omnia ad Salomonis vota prolixè pollicetur. Quærit hic Abulensis, q. 6, cui Deo benedixerit rex iste Tyri, à quo datum esse prædicat Davidi filium, in quo tantum sapientiæ foret expertus. Nam ille nihil minùs quàm de Hebræorum Deo cogitabat, et deos ipso etiam Salomonis tempore coleret alienos. Neque enim ipse aliam complectebatur religionem quàm quæ Tyriis atque Sidoniis, quibus ille tunc præerat, venerationi fuit. At cum eversus est Salomonis animus, et ad mulierularum vota, seu libidinem gentilicis se sacris et sordibus implicuit, infra c. 11, v. 5, coluisse dicitur Astartem deam Sidoniorum, et apud Josephum lib. 8 Ant. c. 2, Herculi et Astartæ instaurasse dicitur templa, et primus omnium statuum Herculi excitasse. Illos ergo deos laudasse videtur, quos colebat; ut quid enim laudaret alienum, à quo abhorrebat ethnicus animus? At stat contra, quia illum laudat Deum, à quo Salomon sapientiam accepisset; sed quis credat cogitasse Tyrium ab illo Deo, quem ipse venerabatur, tantum illud donum Salomonis datum quem in illo meliori statu execrabatur Salomon?

Mihi videtur omninò certum à Tyrio rege verum Deum, quem colebant Hebræi, licet ille ab eo alienum haberet animum, esse laudatum. Quod ideò mihi persuadeo, quia licet Hebræi præter Deum, quem ipsi unum, et verum agnoscebant, cæteros, quos admirabatur vesana gentilitas, deos non putarent, sed impura quædam et execranda monstra; at gentium præterque non ita suos venerabantur deos, ut aliena numina, aut vana putarent, aut contemnenda. Testes sunt Romani, qui pro diis omnibus commune exerent templum, quod *θεῶν* vocarunt; testes Athenienses, qui ne à suâ religione quemquam excluderent deorum, ignotis etiam diis, quorum ipsi nec nomina quidem unquam audissent, aras excitabant. Sed habemus in Scripturâ sacrâ exempla non obscura illorum qui suis ita inhæsere sacris ut aliena probarent, et verum Deum laudandum atque colendum esse dixerint. Colebant Palæstini Dagonem et ejusdem farinae alia deorum monstra; nihilominus Hebræorum Deum timuerunt atque ideò ad aspectum *tas*, aut *canaor eorum*, ait Pagnin. in Nominib. Hebr. (Corn. à Lan.)

arce, quam in castrorum medio Hebræi tantum tutelarem et ducem collocarunt; gravi metu et tristi cogitatione percussis dixerunt lib. 1 Reg. cap. 4, v. 8: *Væ nobis! quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum? Hi sunt dii qui percusserunt Ægyptum omni plagâ.* Et captam arcam in loco quem ipsi maximè sacrum existimabant, posuerunt. Deinde lib. 3 Reg. cap. 20, v. 28, Syri Hebræorum Deum potentissimum esse fatebantur in montibus. Darius Persarum rex, cum deos coleret alienos, Judæorum Deo tantum tribuebat, ut ab illo salutem et libertatem sperari posse diceret. Sic enim ad Danielelem, quem invitum in lacum leonum immitti jussit, Dan. 6, v. 16: *Deus tuus quem colis semper, ipse liberabit te.* Imò et reges cum aliquid divinum putarent à Judæis coli, à quo sperari posset salus, et propositus suis votis eventus, dona sæpè miserunt ad Salomonis templum, et largiter in sacrificiorum sumptus. De quibus lib. 2 Machab. cap. 3, v. 2 et 3: *Fiebat, ut et ipsi reges et principes locum summo honore ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent; ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Et ex his constat quomodo rex Tyri, licet gentilis esset, et deorum vanis superstitionibus addictus, benedixit tamen Hebræorum Deum, qui tantam Salomoni sapientiam indulsisset, quia in eo aliquid existimabat eximium, quod eâ laudatione dignum arbitrabatur. Hoc verò apertè constat lib. 2 Par. c. 2, v. 12, ubi cum de hac re sermo esset, dixit Hiram verbis expressis: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum et terram, qui dedit David regi filium sapientem, etc.*

Quærit hic Abul., q. 5, cur nunc Salomon de lignis cædendis comportandisque tantoperè laboret, cum jam ante satis superque de illis provisum à parente fuerit; imò et de latomis fabrisque lignariis, quos ex Tyriis Sidoniisque accersiri studet. Sic autem David ad filium, cui templi molitionem commendat lib. 1 Par. c. 22, v. 14: *Ece ego in paupertate meâ præparavi impensas domus Domini, etc.; ligna et lapides præparavi ad universa impendia. Habes quoque plurimos artifices latomos et cementarios, artificesque lignorum, aut omnium artium; dictum etiam fuerat supra, v. 4: Ligna quoque cedrina non poterant aestimari, quæ Sidonii et Tyrii deportaverunt ad David.* Respondet Abulensis aliquid amplius cogitasse Salomonem quàm quod fuerat à parente præscriptum

(quod sanè fieri potuit, servatâ formâ quam David acceperat à Deo, cum multa essent in templo quæ spectarent non tam ad templi propositum exemplar, quàm ad ejus majestatem et amplitudinem), atque ideò plus lignorum comportandum fuit, quàm quod fuerat à parente provisum. Aut certè, quia aliam quoque fabricam animo designârat Salomon, ad quam necessaria videbatur vis major cedrinæ materiæ, ideò de lignorum majori copiâ laborat. Constituerat autem regiam sibi fabricari domum, et aliam pro Pharaonis filiâ, quam uxorem duxit, aliam item domum, quam appellavit *Saltus Libani*. Pro tantâ verò molitione non videbatur satis id quod à patre comparatum est. Quòd autem novos etiam à Tyrio artifices requirat, ea ratio est quia Sidonii et Tyrii, quibus magis erat Libanus notus, magis erant in cædendis lignis exercitati, quæ deferebant ad mare, quibus tam domesticas quàm alienas onerabant naves. Unde magnos sibi sumptus faciebat Tyrus, et ideò illorum sibi operam mercede propositâ locari jubet. Neque aliud exigit, nisi ut ligna cædant, et adducant ad litus, nempe Joppe, ut habes 2 Paral. c. 2, v. 16, ratibusque componant: nam ad illa polienda, glypticèque fingenda, alios fortassè habuit Salomon ex suâ regione meliores artifices, quales, ut nuper vidimus, congregârat pater, qui videntur fuisse non Hebræi genere, sed religione, proselyti videlicet, qui ex alienâ professione ac genere ad Hebræorum se sacra et religionem adjunxerant. Sic enim lib. 2 Paral. c. 22, v. 2, de David: *Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terrâ Israel, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides, et poliendos, ut ædificaretur domus Dei.*

VERS. 8. — EGO FACIAM OMNEM VOLUNTATEM TUAM IN LIGNIS CEDRINIS ET ABIEGNIS. Libanus ut vario abundat aromate, sic variis etiam abundat arboribus, quarum pretiosa est et odorata materies, qualis est cupressus, buxus, abies et cedrus, omnium maximè procera et nobilis. Ex his ad templi, regiæque basilicæ constructionem, eam Tyrius materiam promittit, quæ ad illam nobilissimam fabricam maximè videbatur idonea; quæ nimirum ex abiete sumitur et cedro; libro 2 Paral. c. 2, v. 8, plura petit Salomon: *Sed et lignea, inquit, cedrina mitte, et arceuthina, et pinea de Libano. Quæ omnia misit Hiram. In hoc verò loco omissa sunt posteriora hæc ligna, quia minùs ad templi fabricam necessaria, et ideò minor illorum usus.*

VERS. 9. — PRÆBEBISQUE NECESSARIA MIHI, UT DETUR CIBUS DOMUI MEÆ (1). Erat Tyrus in mari, et licet non procul à continenti, cincta tamen undecumque fluctibus, et imposita rupi, quæ licet admittere posset lignonem et vomerem, sic tamen erat angustata finibus, ut non nisi admodum exigua sperari messis possit. Libanus præterea ille vicinus civitati atque insulæ, utpote saxosus et asper, magis erat plantis, illisque sylvestribus, quàm segeti opportunus. Quare nisi aliunde illuc invehere frumentum, fame sine dubio civitati usque adeò frequenti ac lautæ, pereundum erat. Hoc ergo studium cædendi, comportandique ligna de Libano, hæc unâ mercede Tyrius compensari postulat sibi, ut liceat ex Israelitide terrâ ad sterilem illam civitatem, et rebus omnibus indigentem, ad naturæ subsidium, frumenta comportari permittat, neque gratuitum sibi concedi postulat, sed venale frumentum. Ita indicat Josephus lib. 8, c. 2. Neque ad hanc sententiam difficilis est sacer textus. Sic autem Josephus: « Tu verò, ait Hiram, hanc nobis gratiam repones, ut exportandi ad nos frumentum potestatem facias, quo utpote insulares maximè indigemus. » Hæc fortassè petiit rex Tyri pro civitate totâ, pro suâ verò domo atque familiâ alia, quæ essent tot ligno-

(1) COMPONAM EAM IN RATIBUS IN MARI. Per devexa montis demissæ trabes sectæ cadebant ad ripas amnis Adonis, vel in campestris Bibli. Unde vehebantur ad portum, vel componebantur in rates, ut commissæ mari agerentur usque ad portum Joppes, qui omnium maximè vicinus est Jerosolymæ.

ET APPLICABO EA IBI. Hebræus: *Et solvam ea ibi, dissipabo, frangam rates, et reddam tibi ligna ad locum indicatum.* Menander Ephesius illud in vitâ Hiram tanquam rem gravem expendit cæcidisse illum ligna cedrina è monte Libano, in usum tecti templorum. (Calmet.)

Vous me ferez donner tout ce qui me sera nécessaire pour l'entretien de ma table et de ma maison. Il semble que ce que demandait le roi Hiram au roi Salomon, doit s'entendre seulement de ce qui regardait la nourriture des ouvriers qui travailleraient à couper les bois, et non la dépense de la table de ce prince. Car c'est ainsi que ce qui est dit en cet endroit moins clairement, est expliqué nettement dans les Paralipomènes. Et Jésus-Christ, figuré par Salomon, promet de même à tous ceux qui s'emploieront à bâtir son temple, qui est son Eglise composée de tous les fidèles, non du froment, ni de l'huile, ni du vin, qui sont des choses périssables, mais une manne cachée et une nourriture céleste. *Travaillez, leur dit-il lui-même, pour avoir, non la nourriture qui périt, mais la nourriture qui demeure pour la vie éternelle, et que le Fils de l'homme vous donnera. Celui qui travaille, leur dit-il encore mérite sa récompense.* (Sacy.)

rum gravisque vecturæ mercedis loco, de quibus statim. Sed ut erat Salomon ingenio liberali, præter hæc omnia oppida viginti tradidit in terrâ Galilææ, de quibus infra, c. 9, v. 11. (1)

VERS. 11. — SALOMON AUTEM PRÆBEBAT HIRAM COROS TRITICI VIGINTI MILLIA IN CIBUM DOMUI EJUS, ET VIGINTI COROS PURISSIMI OLEI. Capite præcedenti, cum de quotidianis Salomonis sumptibus ageremus, explicuimus quid esset corus, quantum caperet, et quomodo esset aridorum liquorumque mensura; quare de illo non est cur iterum agamus. Præbebat autem Salomon regi Tyri quotannis ad suæ familiæ sumptus frumenti coros viginti millia; olei verò puri atque præcipui coros viginti, quos, opinor, exsolvit annis viginti; tamdiu enim duravit templi regiæque basilicæ superba molitio. Nam templum septem annis ædificatum est, c. 6, v. 37. Domus verò regia tredecim, c. 7, v. 1; tamdiu autem videtur Hiram ligna cedrina atque abiegna ex pacto contulisse. Addit autem Josephus lib. 8, cap. 2, non solum à Salomone frumentum et oleum, sed etiam vinum fuisse concessum. « Sed et ipse (nempe Salomon) maximis donis Hiramum est remuneratus, singulis annis frumentum ei mittens, et vinum, atque oleum, quibus maximè opus habebat, ut diximus, eò quòd

(1) VERS. 10. — ITAQUE HIRAM DABAT SALOMONI LIGNA CEDRINA ET LIGNA ABIEGNA, scilicet cedros et abietes. Addit liber 2 Paral. 2, 8: *Ligna arceuthina*, id est, juniperina, ut vertunt Septuag., scilicet juniperos, quæ ibi in magna altitudine et crassitie excrescunt, ut inde fiant trabes pro fabricis. Licet enim David ligna reliquamque materiam ad fabricam templi præparârit, ut dicitur 1 Paralip. 22, 14, tamen hæc non suffecerunt Salomoni, majora, et plures fabricas palatiorum suorum meditant. Ita Abul.

Allegor. Eucher. et Angel: « Conversa gentilitas, inquit, misit ad Christum viros quosdam, et secundum seculum claros, sed securi Dominicæ increpationis, de monte suæ superbiæ jam dejectos et humiliatos, qui ad normam evangelicæ veritatis instituti, in ædificatione Ecclesiæ pro suo quisque merito vel tempore collocarentur. Misit etiam artifices, quia conversos ad veram sapientiam philosophos, qui gratiâ eruditionis populis quoque regendis jure præponerentur, Domino gentilitas obtulit, qualis fuit ipsis Apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis deinceps doctor suavissimus et fortissimus martyr Cyprianus, alique quàm plurimi. Misit et aurum, quod in eadem penè significatione accipitur, quia nimirum viros sapientiâ et ingenio præclaros ostendit, pro quibus cunctis oblationibus gentilitas à Deo dona expectat gratiæ cælestis. »

(Corn. à Lap.)

« insulam incoleret. » Quid porrò ad operariorum sumptus victumque contulerit, habes lib. 2 Paralip. cap. 2, vers. 10.

VERS. 15. — ELEGITQUE SALOMON OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, ET ERAT INDICTIO TRIGINTA MILLIA VIRORUM (1). Viri Israelitæ sub hæc tempora ad opus rusticum, aut onus aliquod grave non

(1) On ne peut douter, selon la règle que nous a donnée saint Paul, et selon même que saint Augustin l'a particulièrement appliquée à ce qui regarde ce temple de Salomon, que toutes ces circonstances et du nombre et de la qualité des ouvriers qui y étaient employés, n'aient été autant de figures qui signifiaient des vérités touchant l'établissement de l'Eglise. Ainsi cette prodigieuse multitude d'ouvriers marquait l'affluence extraordinaire des peuples qui devaient contribuer tous ensemble, soit par leurs travaux, soit par leurs souffrances, soit par tous les autres exercices auxquels la divine Providence les a destinés, pour bâtir ce temple, cette Eglise unique où le Seigneur tout puissant est adoré. Il y en a parmi eux qui sont occupés à porter comme les fardeaux, d'autres à tailler des pierres, d'autres à couper des bois, et d'autres à divers ouvrages, selon la mesure du don que chacun d'eux a reçu. Et il y en a qui sont établis comme intendants au-dessus des autres.

On laisse à la piété des fidèles d'en faire l'application, ce sujet étant trop vaste pour le traiter en détail. On peut seulement ajouter ici que ce grand nombre de prosélytes qui travaillèrent au temple étant comparé au petit nombre d'Israélites qui y furent employés, marquait dès-lors la multitude des gentils qui devaient entrer dans l'Eglise, au prix de ce peu de Juifs qui ont été convertis. Ce fut par le choix de Salomon, comme il est marqué dans l'Ecriture, que ces prosélytes furent employés à bâtir le temple, et même il en prit trois mille six cents pour avoir la vue et l'intendance sur tous les autres. C'a été aussi, comme le dit tant de fois saint Paul, par la volonté et par le choix de la divine miséricorde du vrai Salomon, que les gentils ont été préférés à Israël dans la formation de l'Eglise, et c'est du milieu de ces gentils qu'il a suscité ce grand nombre de pasteurs, qui après les saints Apôtres ont eu l'intendance sur le troupeau de Jésus-Christ. C'est maintenant à chacun de tous ces différents ouvriers à s'acquitter avec zèle de ce qui regarde son ministère, soit qu'il ne travaille, comme tous les simples fidèles, qu'à édifier le temple de Dieu dans son âme, soit qu'il veuille encore comme intendant sur le travail de tous les autres.

Il est aussi remarquable que pour travailler avec succès au temple du vrai Salomon, il est nécessaire d'entrer de temps en temps dans le saint repos de la solitude, et de cette paix du cœur figurée par ce repos que l'on donnait aux ouvriers après qu'ils avaient travaillé durant un mois. Car c'est dans cette paix toute sainte, et dans ce silence de l'âme tout occupée de Dieu seul, qu'on prend de nouvelles forces pour travailler plus avantageusement à cet ouvrage important de la maison du Seigneur. (Sacy.)